MEDICINA SCIENTIARUM OMNIUM
PRÆCLARISSIMA

DISSERTATIO

QUAM

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE,
ILLUSTRIS ORDINIS MEDICI DIRECTORE, ET DECANO
NEC NON CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

PRO

DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA

RITE OBTINENDA

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERIMA
UNIVERSITATE TICINENSI

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

David Galeani

Ex Viganone Laudis Pompejae

TICINI REGII.
EX TYPIS JOAN. JAC. CAPELLI.
1819.

MEDICINA SCIENTIARUM OMNIUM PRAECLARISSIMA.

Mors vitae ineluctabilis est finis; et dolor, ac gaudium sentientium omnium haereditatem constituunt.

Quamvis morbus, et fatum conditiones praeter naturam a non nullis dicantur; latiori tamen vocabuli *naturae* significatu, naturale est pati, ac mori, sicuti vivere, et dulce frui. Siquidem consilium fuit naturae, ut viventia cuncta inter res innumeras, diversissimas, ac varia agendi potestate praeditas jugiter versarentur, et mutationum varietas, quas ab earum concursibus recipiunt, perpetuo congrueret organorum perfectioni, earumque functionum nobilitati; sic quadam ratione dicere possumus, dum hinc manus naturae rerum omnium matris benefica miro ordine motus vitales componens omne efficit, ut individua sanitati servaret, et eorum species mandaret aeternitati; illinc morbos, et damna effectum inevitabilem esse legum oeconomiae animalis, et conditionum, inter quas

Divus artifex viventia omnia constituit: et homo praeclaris, ac insignioribus facultatibus praeditus maxima pollens sensibilitate, quae illis, se redintegrando, originem praestat, ob eandem causam actioni plurium subjicitur, quae vario modo in perniciem salutis tendunt.

At si homo in statu naturali ob insitam corporis primam fabricationem prae caeteris animantibus circa perturbationes physicas proclivis morbis saepius corripitur; et si institutiones, ac diversae habitudines sociales eum extollunt ad nova ac fere innumera pericula, prout ejus relationes civilem conditionem dilatantes extendunt, ejusque vitae mobilior fit scena, et diversimode variatur; ab iisdem causis porro emergunt utilitates, ac lumina, quibus studet se tueri contra noxias potentias illi forinsecus admotas, et contra animi pathemata exagitantia, aut in integrum se restituere, ubi saevi affectus morbum afferentes locum habuerint.

Nex, et morbus necessariae sunt humanae naturae consecutiones, at procul dubio inest quoque mentibus nostris perpetua quaedam cupiditas vitae prolungandae, et dolores fugiendi. Animantium fabrica tam mirifice quidem est constructa, ut insitis viribus sola sine medico saepe -

saepius plerorum tueatur sanitatem, morbosas impressiones deleat, ac functionum ordinem in integrum restituat. At si ejus vires ad hoc minus sufficiunt, et aliena remedia illi sunt opus; res dantur porro, quibus natura haec satis permulta educit, ut insolitis medeatur perturbationibus. Beluas aspicimus per sensuum facultates noxia distinguere, ac se tueri contra id, quod in perniciem sanitatis tendit; et seligere, quae juvant. Homines, ratione quoque praediti, eximia hac animi facultate sunt usi ad delectum, et investigationem, de quibus agitur. Sic primum adhibuere curas in distinguendis rebus vitae, et sanitati congruis ab illis, quae unam adimere, aut alteram perturbare queunt: postea has effugiebant diligentissimi vel contra earum noxas in semetipsis asservandis omne ponebant studium. Attamen morbis quandoque corripiebantur, quum haud semper eorum occasiones vitare potuissent; et tunc rationem sedulo perspiciebant illorum, qui jam antea in morbum inciderant. Hinc per omne vitae curiculum id defendebant, quod necis occasionem aliquibus praebuisse videbatur, atque in aliis aegrotis experiebantur, illa, quae in casibus consimilibus proficua visa fuissent.

Quum ergo homini desiderium natura-

liter inesset salutis tuendae, morbique sanandi; casus ei premonstravit, quae illam juvant, aut nocent non solum, sed prima quoque praesidia adversae valetudinis, et modum illis recte utendi. Ratiocinium deinceps magni fuit adjumenti ad remediorum inventum. Oportebat enim attente disserere de factis, quae casus sensibus offerebat, ut congruenter accomodarentur conditionibus, quibus usui forent. Quin etiam solum quandoque ratiocinium, causa haud conferente, primos direxit homines ad remediorum detectionem: quum enim morbi per ratiocinium inter se comparari, et praesidiorum cognitorum naturam expendi queat; hac potissimum ratione alia plurima inventa fuerunt, quae prius minime dignoscebantur. Casus igitur, observationes, analogia, et ratiocinium simul ad medicinae principium contulerunt, quae inter omnes scientias nobilitate, ac prestantia valde elucet.

Medicinam jugiter fuisse, et esse, auctoritas, ratio, et experientia liquido ostendunt. Praeclarus auctor libri, cui titulus Ecclesiasticus vix porro sapientissimus jam scripsit: « Altissimus Medicinam invenit, neque sapiens illam aspernabitur: Omnipotens e terra creavit remedia, et Pharmacopula, ex iis varias compositiones ad

salutem in pristinum restituendam aptas efficiet: » Cuncta patrum nostrorum opera de Medicina, ejusque utilitate, et excellentia mentionem faciunt: ac neminem esse judico, cui dubium sit erga Medicina studium, nisi qui ab omni concordia aversus, sibi ipsi fidem tantummodo praestet.

Ubi tamen in auctoritates abjurare non liceat; ratio quidem Medicinam esse persuadebit. Tot philosophiae historiae, Jurisprudentiae, ac theologiae scriptores egregii num per ingentem annorum lapsum jugiter decepti fuerint? Hippocrates ille, quem natura tam praeclaro exornavit ingenio, et ejus aevum, ac posteri cuncti adeo sunt admirati; et qui dicitur, numquam alios decipere, neque falli potuisse, universum num genus humanum errore duxerit agens de Medicina? Celsus ille, cujus eloquentia, et experientia in rebus omnibus summa effecit, ut *Hippocrates latinus* diceretur num falsum scripserit affirmans: Medicinam ubique esse? Non ne remediorum silvas; et montes frustra procreaverit natura, si Medicina haud esset? Tot praesidiorum virtus, quibus ad morbos evincendos utimur, discrimina inter cibos, et venena, rerum permultarum potestas in noxiis horum effectibus evertendis, aetatis longinquitas illustrium Me-

dicorum infirmae valetudinis, quidem fabulae haud sunt ad libitum inventae. Bonus et malus rerum non naturalium, uti dicunt, usus non ne Medicinae varietati favet?

Ast si homines sunt, ubi sibi honorem tribuere existimant pro nihilo habentes id, de quo sapientes omnes conveniunt; non ne refert illos benigne tradere in manus experientiae una cum illis, qui motum, calorem ignis, frigus glaciei, et lucem meridiei denegant? Quid in hanc rerum magistram ii asserere audebunt? Purgantia, emetica, sanguinis emissiones neminem unquam incommodo exemerunt? Simplicia, et composita alia remedia non ne miros agunt effectus caute ab illis praescripta, qui sciunt praesidia ad opus aptare, et moderari prudenter? Quid nam obiici potest balneorum, corticis peruviani, mercurii, opii, et aliorum utilitati, quam experientia non tantum, sed ratio quoque confirmavit? Quod ad Chirurgiam attinet: tumorum aperitio, corporum extraneorum, et praesertim calculi vescicae eductio, mira cataractae operatio, quae una cum aspectu ad vitam illos restituere videtur, qui in tenebris mortis languebant, fracturarum compositio non ne Medicinam esse ostendunt? Manus illa benigna ac simul misericors, quae dum saevi dolores in partu

difficili urgent, matrem letho adimit, et eodem tempore vitam, ac libertatem foetui donat, manus illa, quaeso, non ne ex illis, quas veteres dicebant *manus Deorum succurrentes?* Haec autem omnia in genere, et singulatim quid sunt nisi melioris methodi praxis in iis, quae salutis praesentis conservationem, et morborum curationem spectat, experientia tot saeculorum, et ratione sancita?

Quae cum ita sint et Medicinam esse liquido ostendant; nunc paucis dicam, cur Medicina nobilitate, ac praestantia caeteris scientiis anteponenda, quoad fines, insitam excellentiam, et viros praeclarissimos, qui Medicinam fecerunt, aut plurimum sunt admirati.

Officium Medicinae duplex: *conservatio sanitatis* primum, *curatio morborum* secundum; et ideo latiori, sensu *sanitas* Medicinae unus est finis; quod porro maximam hujusmodi scientiae nobilitatem, et quam plurimi sit habenda, cunctis demonstrat. Audimus aegrum articulari morbo correptum *Salvatoris* nomine medicum vocare; et simili honore veteres populi medicos jugiter coluere; ac apud Persas titulo principum dignabantur. Reyera cum Medicinae finis sit sanitas, quam Medicus tuetur, et amissam instaurat; non ne ve-

rum: corporis melius illam esse ornamentum, inter bona nihil aliud nobis dulcius; et illud, sine quo omnes voluptates vitae videantur insulsae ? Quamobrem inquit quidam Cato:

» Capitis auxilium Medico comite sodali;
» Sit tibi praecipue quod primum est cura
» salutis. »

Hanc propter rationem vates antiquissimam inter Deas sanitatem posuerunt; postremum Falerni poculum veteres in conviviis illi dicabant; et exclamabant Ægyptii: « O sanitas, tu es bonorum maxi- » mum. » Quum reipsa primum naturae bonorum sit salus; pauper eadem gaudens sine comparatione felicior, quam dives aegrotans, suspicitur. Possessiones, dignitates; ac thesauri omnes pro nihilo ducendi, si bonam corporis constitutionem haud habeant sociam: « melius est corpus » validum, quam census immensus. » Id maxime arcanum, et singulare erat in sacris, quae saluti conficiebantur, ut cunctis animantium speciebus uti liceret, quando caeteris divinitatibus hostia illis congrua tantummodo immolabantur; idest Taurum Jovi, Aries Marti, Tigris Bacco: hoc fere discrimine, et victimarum numero praemonstrare voluissent Etnici, omnia persolvenda ad morborum curationem, et nihil dari, quod non adhibeatur, ubi agitur de vita.

Medicina per se ipsam excellens, si ejusdem naturae est opus; si uti Cassiodorus inquit, efficit id, quod divitiae tam magna operantes facere nequeunt; « ibi enim nos » nititur sublevare, ubi nullae divitiae, » nulle dignitates possunt subvenire: » Si iidem sapientes idolorum cultores agnoscebant, illam esse Deorum munus, ac manum, quam ipsi benigne hominibus praestant ad eos sublevandos, quando in calamitatem morborum incidunt; si Medicina, quaeso has omnes utilitates exhibet; non ne *procul, et de ultimis finibus terrae praetium ejus*? Si animadvertimus, ad perfectam hujusmodi scientiae notionem assequendam, tot necessaria scitu, ac praesertim, quae corpori humano in universum competant per disquisitiones anatomicas, et physiologiam notari diligentissime, remedia cuncta agnoscere in rebus physicis sublime versari, opus tam ingens, cui summa vix sufficit aetatis longinquitas; num tot labores, et difficultates Medicinae excellentiam, et dignitatem haud clare ostendunt? Haec est ratio, propter quam magnus Hippocrates scripsit: Medicinam esse in orbe terrarum id, quod ab omnibus aestimari mereatur, quidquid de illa sentiant ignari, ac hominem sapientissimum perficere; etenim sapientiae eidem est so-

ror: et Galenus defendit: Medicinam esse artem honestissimam, et liberalem, quoddam ingens, ac venerandum suspici. Tot etiam alii viri praeclarissimi asseruere, disciplinam esse, quae eminet super caeteras in utilitate non solum, sed ornamento, atque aestimatione.

Sed quod maxime mirum, curationibus interdum stupendis naturae ipsius ordines evincere illa videtur; quamvis enim incredibile a medicis quandoque mortuos in vitam restitutos fuisse: medicinae tamen praesidia virtute pollent pluribus annis vitae saepe saepius prolongandae: neque porro inter se multopere differunt, qui mortem amovet, et qui mortuis vitam largitur. Salutis donum super omnia sortis munera valde elucet; et hinc sane perspicuus inest medicinae character divinitatis.

Neminem igitur mirari puto, si Ægyptii, aliaeque cultae nationes stipendia ab aerario publicae pecuniae decernerent illis medicinam facientibus: gymnasia ponerent juvenes edocendi gratia intentum animum ad hanc scientiam adjcientes; et ab hinc temporibus illis medici pingerentur corona frontali ornati; quod, Plinius animadvertit, Medicina tantummodo privilegio polleat legibus astringere eos, qui leges instituunt.

Ad confirmandas tot inclytas Medicinae

veritates apponam, quod de illa scripserit olim quidam poeta:

» Adde hoc, quod plena est occultae cognitionis:
» Haec florum herbarum lapidum secreta recludit,
» Et quidquid tellus intra sua viscera celat,
» Perspicit, ac vires naturae provida pandit.
» Corporis humani partes considerat omnes,
» Et revocat multos regnum ad Plutonis ituros,
» Ergo quid hac potius sapientem scire licebit?
» Cum non solum animos possit sanare medendo,
» Verum etiam membris aegris prodesse sanando.

Quod si morborum curatio, et dolorum, cruciatumque levamen haud magni essent argumenti ad absolutum Medicinae utilitatis finem; summam quoque promoveret attentionem, sicuti fundamentum totius optimae philosophiae rationalis. Nam eadem una leges corporis viventis, sensibilitatis statum salutis ordinem naturalem, mutationes quibus facultas haec tempore morbi obnoxia, perdocere nos potest: unde hominem physicum, cujus homo moralis est pars, seu melius altera facies, nostris exhibet oculis. A physico corporis sensu Medicus non tantum aspicit oriri ideas, et animi pathemata; aspicit enim, qua ratione efficiuntur; aspicit saltem, quid eorum origini favet, aut adversatur: et semper a quibusdam organicis conditionibus evolvit explicationem problematum omnium.

Et ideo Medicina putetur etiam, quod

praebeat fondamenta aeque firma ad illam philosophiam, quae et idearum, et pathematum originem illustrat. Hinc spectat quodque optimum studiorum systema; illinc aeternis naturae legibus principia juris, et officiorum hominis invenit: ut verbo dicam, intellectus studium illa dilucidat, et viam praemonstrat illius moderandi, ac perficiendi agnoscens in impressionibus, et illis, quae singulae unicuique naturae sensili sunt opus, causas, et leges relationum individuorum omnium, quae ad illam pertinent, aut quae eadem sub imperio tenet; et ab ipso fonte oculis occurrunt eorum mutua agendi methodus, et ars rationalis de cunctis eorum utilitatibus, vel *scientia moralis.*

Sed aliud Medicina confert in nos beneficium. Etenim simul ac caetere scientiae physicae, et artes a sollicita naturae observatione profectae, directo tendit ad omnes disperdendas species, quae imagines fascinant, et torquent. Quum mentem edoceat videre in factis nil aliud, quam eadem facta, et claras eorum relationes; per multos dum nascuntur, exscindit errores, qui debentur nisi consuetudinibus prorsus oppositis, et praesertim evertit illos, qui rebus absurdis innituntur; omnes nempe credulitates superstitiosas: et in

hoc intimo cum natura commercio, ratio quamdam acquirit libertatem, et constantiam, apud medicos hoc nomine siquidem dignos universo observatam.

Superest denique, ut Medicinae nobilitas, et excellentia per ejus generosissimam prosapiam, ac inventores egregios comprobetur. Omnes terrarum gentes animo conceperunt, Deum hominibus hac de re primas impertisse notiones aut directo, aut monitu « Deorum immortalium inventioni » consecrata est ars Medica. » *Tusculan.* » Diis primum inventores tuos assignavit » Medicinae, Celoque dicavit » (Plinius, lib. 29, cap. 1).

Baccus Assiriae, Libiae, et Indiae rex Medicinae inventor existimatus fuit. Ammon, et Zoroostratus reges; Hermetes, sive Mercurius Latinorum; Isis, Osiris apud Ægiptios adeo magni fuerunt tamquam salutaris scientiae inventores, ut vetus populus ille eosdem sustulerit summis honoribus non solum, sed postremos superis adscripserit. Athotis, Sesostris, et alj plurimi reges, principes, aut Pontifices Medicinam fecerunt; quamobrem populorum amorem, et venerationem adepti sunt.

Sinae propriis regibus antiqnis Medicinae inventionem tribuerunt. Prometeus, qui Scythis originem dedit, quum optimarum

artium omnium inventor salutatus fuerit; simul et Medicinae. Poetae introduxerunt Apollinem primarium Medicinae Deum, cui filium dederunt Esculapium Deum itidem, et Medicinae professorem. Sed Prometeus est imago spiritus, sive ingenii hominis, quod huic viam premonstravit ad eorum inventum, quae vitae, et societati maximo forent usui: et quod ad Apollinem spectat, profecto, quum sol in Naturalibus sit vitae auctor, et fons; Medicus ejusdem conservator, tamquam scaturigo altera suspicitur. Quamvis enim poetarum fabulis minime credendum, aeque Medicinae origo tenebris, et somniis obvolvere liceat; ex praedictis tamen rite perpensis equidem colligitur, veteres scientiam Medicam quoddam divinum, et sacrum duxisse; et si ejusdem inventio diis haud tribuenda, hoc saltem pro certo habetur numero Deorum adscriptos fuisse viros, qui Medicinam invenerunt societati adeo necessariam, et utilem; et illis templa atque cultus homines statuisse ob solam admirationem, aut reapse pro meritis gratos solvendi causa.

Quod si ab hinc temporibus Chironis, Melampi, Eusculapii, et Orphei quatenus scientia medica dubiis obvoluta, et cum fabulis permixta agnoscitur; progredimur

ad illa, quibus homines majori prudentia intentum animum ad litteras adjunxere; videmus, Medicinam universim philosophiae innixam esse, et olim eosdem viros unam, et alteram coluisse. Plurimi reipsa veteres philosophi, Pitagora, Empedocles, Democritus, et alii ingenio, ac doctrina in rebus Medicis adeo excelluerunt, ut famam sibi ipsis aeternam comparaverint. Quis nam Athenis, et in insula Samo existimatione floruit? Quis Dario Regi acceptus, et amplissimis impertitus honoribus, quam Medicus Democedeus? Hippocrates, vir singularis ingenii praeditus, imo naturae recessus perscrutatus, et commercium cum illa aliquandiu habens ea didicit, quae haec maxime occulta, et arcana operatur, ut notiones hominibus impertiret, quando iisdem opus esse ceperunt: et porro novis inventis, atque experientia Medicinam instauravit. Ejus opera puram exhibent doctrinam, et sensus tales, ut illum auctor, quidam dixerit Medicinae Prometeum. A populo, et Senatu Abderae pater patriae Jupiter servator salutatus fuit. « Hic sa-
» nitatis pater, hic servator, hic dolorum
» curator, hic divinae scientiae particeps.
Seneca, et Plinius Medicorum principem illum nuncuparunt. Macrobius, suspicit Hyppocratem quoddam divinum, et fallere

nescium: Plato illum profert, ubi auctoritas viri sapientis, et praeclari sit opus. Suidas ait: Hippocratis doctrinam, et verba non hominis, sed dei esse. Graecia illum divinis coluit honoribus; et Senatus Athenarum civitatem et annuam pensionem aerario publicae pecuniae elicitam in ejus filios contulit: posteri sequentem illi inscriptionem dicarunt.

Lux hominum Hippocrates populos tutatus, in orco fecit, ut umbrarum copia rara foret.

Quid autem dicam de Theophrasto, Herophilo, Erasistrato gymnasticae, et anatomes instauratoribus? Asclepiades Romam perventus aevo Magni Pompei propter suam eloquentiam, animi lenitatem, ac ingenium in remediis conficiendis, et quod vini usum primus introduxerit ad morborum curationem, non ne admiratus fuit tamquam superorum munus? Non ne plurimum extimationis adepti sunt Themison, Soranus, Tessalus? Rex ipse Mitridates Medicinam adeo dilexit, ut de remediorum virtute subditos omnes consuleret; et ex inventis rationi, atque experientiae congruis proficiens electuarium, cui nomen Mitridatium, Democratis, composuit.

Galenus *inter medicos eloquentissimus, inter eloquentes medicus acutissimus, inter*

utrosque diligentissimus, inter omnes maximus, ingenio praeclarissimo praeditus tamquam alterum Pythii Apollinis oraculum Romae suspiciebatur. Post mortem illi idolorum cultores divinos impertierunt honores; et Imperator Commodus statuam posuit, ut tanti viri memoriam aeternitati mandaret. Apud Arabes Rases, Avicenna princeps Medicorum, Averoes Cordubensis magni fuerunt; eorumque opera medica, et philosophica post tot saecula nunc quoque existimatione florentia, famam iisdem conferunt.

Ab hinc temporibus illis antiquissimis aeternos sibi ipsis pepererunt honores Sydenhamus, Boerhaavius, Vanswieten, Morgagnius, Bursierius, Frank, et plurimi alj in rebus Medicis viri expertissimi. In Italia praecipue, et in Germania, quibus, ne lectoris abutar patientia, quorum aliqui jocunda adhuctum fruuntur senecta. Quorumque nomina immortalitati sunt consecrata; et posteri illis gratias habebunt, quod simul adeo contulerint ad augmentum Medicinae, quae, objectum hujus cum sit corpus humanum, et finis conservatio vitae, et sanitatis inter munera sortis equidem primum, scientiarum omnium praestantissima dici prope jure meretur.

THESES.

I.

Sola cordis vis haud sufficit ad circulationem sanguinis peragendam.

II.

Motus sanguinis progressivus a cordis impulsu, motus lateralis ab actione arteriarum venit.

III.

Etiam venae vim propriam in motu sanguinis exercent.

IV.

Arteriarum diastoles non est tamquam motus passivus consideranda.

V.

Caloris animalis productio haud perficitur sub respiratione praecipue.

VI.

Velocitas qualis in motu sanguinis haud statui potest.